



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jus Canonicum Practice Explicatum**

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gegorii Papæ IX. Titulos,  
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos  
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

**Pichler, Vitus**

**Ingolstadii, 1728**

Decisio LIV. De solutionem petente ante Tempus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

# TITULUS XI.

## De Plus - Petitionibus.

### DECISIO LIV.

De Solutionem petente ante tempus.

#### SPECIES FACTI.

Mævius in urbe N. vendidit domum Sempronio pro 1500. florensis, ea lege, ut 800. statim numeraret in parata pecunia, de reliquis 700. autem conventum est, ut intra spatium 7. annorum Sempronius vel singulis annis 100. vel saltem totam summam ultimò, nempe septimo anno, solvere obligatus sit, non ante. Conventione hac non attenta Mævius altero mox anno petiit à Sempronio reliquos 700. sive avaritia stimulare, sive sub prætecto indigentia, & cum Sempronius renueret præstare solutionem pro nunc, adiit Judicem Mævius; at Sempronius suggerente Advocato valde astuto studiosè dissimulavit pactum de non exigenda solutione antè lapsum certorum annorum, nec opposuit exceptionem plus-petitionis, nec probationem illius in se suscepit, donec lis fuerit contestata, ut hoc modo condemnaretur Mævius ad du-

plicas inducias in pænam plus-petitionis tempore, seu quòd ante tempus exigeret debitum, consequenter ut plus dilationis pro solutione debiti nancisceretur Sempronius. Facta autem litis contestatione, & postquam Mævius articulavit, Sempronium sibi debere 700. repente obtulit Sempronius articulos reprobatorios, in quibus deduxit, quod post litem contestatam exceperat, scilicet, se quidem non negare debitum, at ex conventione non esse obligatum ad illud solvendum ante septennii lapsum, annexa petitione, ut absolvatur ab instantia, Mævius autem condemnatur in duplicatas inducias, seu ut tot annis jubeatur diutiùs expectare, quot annis solutionem citiùs, quàm oportebat, petiit, ac simul hujus litis expensas refundat Sempronio. Unde

L 1 3 QUA-

## QUÆRITUR I.

An Judex debeat absolvere ab instantia Sempronium vel eum condemnare ad solutionem post fluxum duplicatarum induciarum?

SUPpono, quòd antiqua plus petentium poena, quæ olim fuit amissio causæ, recentiori Jure, si plus petatur tempore, mutata sit in duplicatas inducias, ita ut si exceptio plus-petitionis ante publicationem attestationum fuerit opposita & probata, duplicare seu in duplum prolongare solutionis terminum debeat Judex, ubi consuetudine non probatur abrogata esse poena duplicatarum induciarum, ac simul plus petentem condemnare in expensas primæ litis, in qua plus petivit; controversum tamen est, an Judex possit vel debeat absolvere Reum ab instantia, vel eum condemnare ad solvendum post lapsum duplicatarum induciarum?

Dixeris cum Innocentio in *c. Pastoralis 4. de Except. n. 2.* Judicis partes esse, ut condemnet Reum, non absolvat, ex his argumentis. I. Judex tenetur ferre sententiam ea super re, super qua cognovit. *l. de qua re. 74 ff. de Judic.* Sed in nostro casu tum ex litteris venditionis tum ex confessione Sempronii cognovit, Sempronium esse debitorem Mavii ad 700. florenos: ergo tenetur ferre sententiam de hoc debito, & Sempronium condemnare ad solutionem illius, licet cum dilatione, & duplicatione indu-

ciarum. II. Siquis habet debitum sibi obligatum sub conditione, repetere debet sententiam pro se, adeoque condemnatoriam Rei, etiam pendente adhuc conditione. *Legy de Julia 40. ff. ad L. Aquiliam.* Quam exactio debiti differri debeat ad certum conditionis: ergo etiam debitor certum temporis, seu in diem certum ut est noster Sempronius, cuius debitum est ad septennium, ante sententiam diei, seu ante lapsum septennii, conventus in Judicio condempnari debet ad solutionem, scilicet duplicatas termini inducias facientem.

Sed tenendum est cum Matthio Cero ad *c. dilecti de Except. n. 53.* Dilectum. & aliis, quòd Sempronius non sit absolvendus, saltem ab instantia non verò condemnandus ad solutionem duplicatis induciis elapsis, atque his elapsis, si non solvat Sempronius, novum Judicium inchoandum. Ita enim clarè decisum est *§. temporales 10. Inst. de Except.* habetur sic: *Si intra tempus (anteceperunt nempe effluxerit) egerint, obijerint sit exceptio, neque ex Judicio quodam consequantur, neque post tempus (de Jure antiquo) agere poterant. Die autem non ita strictè hoc procedendum volumus (ut omnino amittatur causa*

et cum, qui ante tempus pactionis vel obligationis litem inferre ausus sit, Zeronie constitutioni subjacere censemus, quam sacratissimus Legislator de iis, qui tempore plus petierint, protulit (videlicet) ut iudicium, quas ipse Actor sponte indulserit, vel quas natura actionis continet, si contempserit, in duplum habeant ii, qui talem injuriam passi sunt: & post eas finitas non aliter litem suscipiant (ergo novâ opus est instantiâ) nisi omnes expensas litis antea acceperint. Ergo, sicut ex antiqua Lege plus-petens tempore cadebat causâ & Actione sua, ita hodie saltem cadit ab instantiâ. Confirmatur: exceptio plus-petitionis tempore hodie est dilatoria, quod scilicet Actor malè agat ante tempus. §. 10. *Instit. de Except. l. 137.* §. cum ita 2. ff. de V. O. Sed exceptio excludit condemnationem. l. 2. pr. ff. de Except. & dilatoria differt & transfert executionem sua Judicium ad aliud tempus: ergo non est locus condemnationi ante adventum illius temporis.

Ad LL. in contrarium adductas, & quidem ad l. ajo, verum quidem esse, Judicis partes esse pronuntiare de illa re, de qua cognovit, at pro illa parte litigantium, quæ cognoscitur habere meliorem causam, ac in Jure fundatam; non enim ea duntaxat cognoscere debet Judex, quæ faciunt pro uno, sed etiam quæ faciunt pro altero litigante, ut secundùm acta & actitata judicare, justamque sententiam possit. l. illicitas §. veritas ff. de Offic. Pras. atqui, si Judex cognovit etiam ea, quæ faciunt pro

Reo, & in nostro casu, quæ faciunt pro Sempronio, quod nempe habuerit dilatoriam exceptionem plus-petitionis, & quod Mævius exegerit malè solutionem ante tempus, simul cognovit, Sempronium habere causam meliorem, in Jure fundatam, quod nimirum excipiens condemnari nequeat, & dilatoria exceptio transferat Judicium in aliud tempus, reusque hinc & nunc per interlocutoriam sententiam absolvi, non condemnari debeat, uti probavimus: ergo debet, & in hoc casu debuit ferre sententiam interlocutoriam Judex, qua Sempronius absolutus sit ab instantiâ; atque sic tulit sententiam de re, de qua cognovit. Accedit, quod post cognitam utriusque partis causam (ut debet utriusque, non unius tantum, causa cognosci) Jura magis faveant Reo, quam Actori, ac proniora sint ad absolvendum, quam ad condemnandum.

Ad II. Ibi agebatur ex tertio capite legis Aquiliæ contra corruptentem tabulas, vel chirographum, ad interesse, seu quod intererat Actoris, tabulas corruptas non fuisse, per ea, quæ dicuntur §. 13. *Instit. de l. Aquil.* cum igitur ibi ageretur super delicto Rei tabulas corruptentis, ex quibus super debito poterat convinci, ideo, postquam Actor probavit per testes, qui audiverant, Reum promississe Actori centum sub conditione, si navis in Asiam veniret, corruptens tabulas statim debuit condemnari ad id, quod intererat agentis, videlicet quanti

ti res aut debitum erat, in tabulis descriptum, cum modificatione, ne condemnationis exactio fieret ante eventum conditionis. Secus est in proposito nostro, ubi Mævius expertus est principali actione, descendente ex contractu Partium, cui tamen objecta est exceptio plus-petitionis tempore: unde cum Reus nihil debuerit exigibile de presenti. *arg. l. cedere diem 213. ff. de V. S.* meritò fuit absolutus; cum paria sint debitorem non esse, & nondum conveniri posse: item habere actionem, quæ per exceptionem eliditur, & non habere. *per l. nihil interest 112. ff. de R. J.*

Tradita hucusque doctrina non procedit I, Si Reus non opponat exceptionem plus-petitionis. II. Si Actor probabili ignorantia credat, diem so-

lutionis venisse; tunc enim pœna duplicationis induciarum locum non habet, cum absit culpa. III. Si ante litis contestationem (imò juxta ad *b. t. n. 5. in meo Candidato*, et post litis contestationem.) sponte desistat à plus petendo, & urgere litigationem desistat; tunc enim iterum evadit dictam pœnam. IV. In aliquos si Reus proposita exceptio plus-petitionis, vel dilatoria solennis, non petat Actorem condemnari in duplicatas inducias: sed de hac ignorantia multum dubito; nam ex juris sunt, uti hæc duplicatio induciarum, Judex potest, imò ex officio debet supplere à Partibus omnibus. *Ter. & DD. in l. un. C. ut, quæ desunt, vocatis.* Licet non ea, quæ factis supplere teneatur, vel possit.

### QUÆRITUR II.

*An, si Sempronius exceptionem plus-petitionis opposuerit, & probasset ante contestationem litis, Mævius nihilominus fuit condemnandus ad duplicatas inducias?*

**S**ine ambagibus tene negativam cum Panormit. Felin. Salic. Angel. Aretin. in *§. appellantur inst. de Except. n. 37.* Fundamentum petitur inde, quòd de Jure Antiquo plus-petens tempore non incurreret pœnam amissionis crediti, nisi perseveraverit in plus petitione usque ad litis contestationem factam, prout est textus in *§. Siquis 33. pr. §. v. sed hæc quidem. Inst. de action. ibi: si tempore plus petitum fuerit &c.* ergo nec hodierno

Jure incurrit pœnam duplicatarum induciarum; partim quia hæc pœna subrogata amissioni crediti, & intelligitur subrota secundum veris pœnæ rationem. *arg. l. si enim. §. injuriarum. ff. Judicio sibi. partim quia in §. temporales. 10. luperis recitatur qui novum Jus statuit, in verbis *die autem dicitur, qui tempore petierint; sed ante litem contestatam Actor non plus petit, nec plus dicitur petitum, sed tantum dicitur**

petere voluisse. l. amplius ff. Ratam rem  
haberi. Accedit c. un. eod. x. ibi :  
petitor importunitas plus-petentium,  
& per petitione sua duxerint in iudicio  
pendendum: ergo, si in iudicio h. e.  
post litem contestationem (per hanc  
litem propriè inchoatur iudicium,  
quod in penalibus strictè accipien-  
dam) non sit perfitum, consequen-

ter non detur plus-petitio, poena non  
habet locum. Interim tamen absol-  
vitur ab instantia Reus, & in captæ li-  
tis expensas eidem condemnandus  
est Actor plus petens ante litem novæ  
contestationem. c. un. cit. ibi: nec  
litem excipiet, nisi ei solvantur expen-  
se. l. 1. 2. C. h. t. §. temporales Inst. de  
Except. in fine cit.

## TITULUS XII.

### De Causa Possessionis & Proprietatis.

#### DECISIO LV.

De Parocho Possessionem Decimarum, quam diu  
habuit Primissarius loci, turbante.

#### SPECIES FACTI.

Primissarius in Parochia N. multis  
annis habuit decimas ex quibus-  
dam agris, in fundatione jam ante 50.  
annos ibi assignatas, à Magistratu lo-  
ci authenticis litteris contestatas, &  
quædam possessione, ut testes de plus-  
quam 20. & 30. annis testificantur,  
sine interruptione collectas. At priori  
anno Parochus, qui in iure Canoni-  
co legerat, se habere intentionem in  
iure fundatam ad omnes decimas suæ  
parochiæ, & si alius Clericus eas præ-  
scribit, præscriptione immemoriali,  
vel 40. annorum cum titulo vel privi-

legio, aut alio legitimo illas acquirendi  
titulo munitum esse debere, propria  
auctoritate involavit in has decimas,  
suoque horreo invexit, ratus utique,  
Primissarium in probatione præscri-  
ptionis vel alterius iusti, quo domi-  
nus harum decimarum effectus sit,  
tituli defecturum. Unde quæritur 1.  
quo remedio se juvare possit Primis-  
sarius, an Possessorio vel Petitorio  
experiri. 2. vel utrumque simul cu-  
mulare. 3. & si quidem solum Pos-  
sessorium eligere velit, quale con-  
sultum sit instituere?

(R. P. Pichler Decisiones.)

M m

QUA-